



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XXI. Erzbischof Otto vereignet der St. Jacobs-Capelle zu Burg zwei vom Ritter Conrad Persik derselben geschenkte Hufen Landen, am 1. Januar 1335.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XXI. Erzbischof Otto verzeignet der St. Jacobs-Capelle zu Burg zwei vom Ritter Conrad
 Perzik derselben geschenkte Hufen Landes, am 1. Januar 1335.

In nomine domini Amen. Cum pastorem deceat sollicitudinem vtilitati et commodo subditorum intendere, Maxime in hiis, que diuini cultus augmentum et salutem respiciunt animarum, Hinc est, quod notum facimus vniuersis christi fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos Otto dei gratia sancte Magdeburgensis Ecclesie archiepiscopus, hinricus prepositus, Johannes Decanus Totumque Capitulum Ecclesie Magdeburgensis iam dicte ob Reuerentiam dei et exaltationem katholice fidei ac pium interuentum Conradi perzik militis nostri Dilecti Damus et concedimus per presentes Cappelle Sancti Jacobi Extra muros Oppidi nostri Borch proprietatem duorum mansorum ante predictum oppidum Borch sitorum, quos idem Conradus perzik miles a nobis et nostra Ecclesia in pheidum obtinebat et ipsos cum consensu nostro pro remedio anime sue cum omnibus iuribus et pertinentiis suis liberaliter et pure ad dictam Cappellam donauit propter deum, ita quod mansi prefati ab omnibus exactionibus seu vexacionibus nostra auctoritate imminentibus penitus sint exempti, Volentes igitur donacionem proprietatis predictae perpetuis temporibus valituram ac Duraturam, Etiam si Cappellam eandem in posterum intra muros predicti oppidi Borch transferri Contingat, vt Deo magis laudabiliter in Diuino officio seruiatur, Renunciantes insuper omni iuri et proprietati et dominio ac cuiuslibet exactioni nobis et nostre Ecclesie vel successoribus nostris nunc et in perpetuum competentibus super mansi memoratis. Vt igitur predicta proprietatis donatio perpetuum vigorem obtineat, nos super hoc presentes dedimus litteras nostrorum sigillorum appensionibus communitas. Actum et Datum Magdeburg, Anno Domini Millesimo Trecentesimo Tricesimo quinto, in die Circumcisionis Domini.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Burg Nr. 140.

XXII. Erzbischof Otto verzeignet zweien Altären der Pfarrkirche zu Burg Besitzungen
 zu Recel, am 1. Januar 1335.

In nomine domini amen. Pontificalem decet sollicitudinem dei semper laudibus inuigilare et easdem augmentare in omnibus quantum potest. Ob hoc notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, Quod nos Otto, dei gratia Sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, Totumque eiusdem maioris Ecclesie Capitulum ob reuerentiam dei et exaltationem katholice fidei et animarum nostrarum salutem damus et concedimus duobus altaribus in Civitate burch in Ecclesia Sancti Nicolai fundatis Altari videlicet Sancte Marie virginis et altari beati Dyonisij proprietatem duarum Curiarum in villa Recel cum Sex Choris et Quatuor modijs cum dimidio dari frumenti filiginis videlicet et ordei et alijs duabus curijs, que vulgariter kofeten dicuntur, respicientibus curias antedictas, cum omni iure et dominio perpetuis temporibus duraturam, Renunciantes omni iuri, possessioni, proprietati et cuiuslibet Accioni nobis et Ecclesie nostre vel Successoribus nostris Super dictis Curijs et bonis ad easdem pertinentibus nunc vel in perpetuum competentibus. Hij sunt